

triusq; cum Logicâ reciprocatio, ut ita loquar; tradenda erunt præcepta de modo disserendi tûm in genere, tûm in specie. Ex his efficitur, specialia præcepta de Logicorum instrumentorū applicatione esse immediate subjicienda præceptis generalibus: quia alioqui mediorū, quibus ad Logicæ finem contendimus, fieret divulsio. Hinc & illud efficitur, usum Logices à præceptis de usu esse distinguendum. Usus præceptorum Logicorū separandus est ab ipsis præceptis de usu. Etenim usus ille est rationis functio, quâ præcepta artis animo comprehensa reb. extra artem cognoscendis opere ipso applicantur. Hunc usum Logica sibi non adscribit. Nam ille est cuiusvis hominis erudit, qui utitur Logicâ juxta pœpta generalia & specialia, effectū. Deinde usus vel præcedit artem, vel sequitur. Quatenus præcedit, est causa efficiens artis. Nā

Per varios usus artem experientia fecit.

Sed quatenus artem sequitur, illius effectum est. Hic igitur usus non est pars artis, vel essentialis, vel integralis. At præcepta de hoc tali usu, omnino sunt pars artis. Nam sine iis ars non potest dici essentialiter perfecta; id quod vel inde colligere est, quod non omnis qui cognita habet præcepta Logica, v.g. de syllogismo, statim dextrè illis uti potest. Requiritur igitur ut specialis superveniat præceptio de ratione uenti seu applicandi hoc instrumentum. Suprà vidimus, instrumentū quodvis habere duo, videlicet essentiam & actionem seu usum. Si dantur præcepta de essentiâ seu naturâ v.g. testudinis, lyræ, mallei; etiam erunt tradenda præcepta de usu testudinis. Foret n. manca & imperfecta instrumenti cognitio.

Necessitas usus Logici comprobatur ratione, Necessitas
authoritate & exemplis. usus Logici.

Ratio, quâ probatur usum Logices esse necessarium, sic habet.

Logica est habitus, prout consideratur in mente hominis. Habitus autem artificialis tribus acquiritur mediis, naturâ, institutione, & exercitatione. Aristot. 3. Rhet. cap. 12. & 1. polit. 13. ubi ait: Σπεδαῖοι γίγνονται διὰ τελῶν τὰ τεῖσα δὲ ταῦτ' ἐπι φύσις, λόγος, καὶ ἔθος. Cui σύμφωνα, sunt ea quæ Plutarchus habet de institut. ή φύσις ἀνευ μαθήσεως τηλόν. ή μαθήσις διὰ φύσεως ἐλλιπεῖ. ή δὲ ἀσκησις χωρὶς ἀμφοῖς